

illo oceano. Sed quia iterum caput erexerunt et dominantur in mundo rursus æque potenter ac prius, idcirco ea demum ingenti rogo injiciet et rediget in cinerem. Et quia creaturæ cæteræ qui innoxia ad peccandum cooperata sunt qualiquali modo, idcirco et ipsæ concremandæ, quemadmodum cum Sodomita et bestia comburuntur, quibus est abusus. Ea quam gravis et detestanda res peccatum sit. Si enim ita ardebunt res omni culpa vacantes, quomodo ardebunt impii tot sceleribus inquinati? Optime S. Petrus epist. II. capite III. ex hac mundi dissolutione concludit: *Cum igitur hæc omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus?* Quasi dicat; primo, non oportet confidere in rebus perituris; secundo, non oportet ædificare, quod simul exurendum sit; tertio, non oportet peccare, quandoquidem urentur etiam res innoxia, quæ quovis modo peccatoribus adminiculo fuerunt.

III. Sequetur resurrectio mortuorum, durante adhuc mundi incendio. Et qua ratione? Primo, præmittentur Angeli cum tuba, ut mortuos excitent et convocent ad iudicium, ut docet Dominus, Matth. XXIV. et Apostolus I. Corinth. XV. et I. Thessal. III. Intonabunt vero illud: *Surgite mortui, venite ad iudicium*, ut indicant Chrysost. et Theophyl. docetque Sotus in IV. d. XLIII. q. I. a. IV. Si non voce expressa et articulata, saltem voce hoc ipsum significante. Et, quamquam hic tonus erit uniformis, alius tamen erit in auribus electorum, alius in auribus damnatorum; illis erit optatissimus et suavissimus, his vero molestissimus et terrificus; illis erit velut sonitus tubæ annuntiantis jubilæum plenum gaudii et gratiarum, ut fieri consuevit olim Levit. XXV. his vero velut sonitus campanæ sanguinariæ, quo evocantur e carcere rei ad iudicium et supplicium. Buccina jubilæi annuntiabit otium et quietem totius anni servis et jumentis, deinde restitutionem possessionis pristinae faciendam unicuique, denique, copiam frugum eo anno sponte et sine labore omnibus provenire solitarum, Lev. XXXV. Buccina iudicii annuntiabit electis dulcissimam quietem beatæ æternitatis, reversionem ad cœlestem patriam, unde prius in Adamo ejecti erant, affluentiam bonorum omnium, nullo amplius labore, pretio, vel molestia comparandorum. Erit ergo eis, quasi vox turturis, jucundissimum ver beatitudinis annuntians, juxta id Cant. II. *Vox turturis audita est in terra nostra*. Campana vero illa sanguinaria quid aliud reis annuntiat, quam terrorem iudicii, publicam infamiam, gravia tormenta, mortem violentam, bonorumque hujus vitæ omnium jacturam? Et in ægre, putatis, isti egrediuntur e carce-

ribus ad iudicii theatrum? Similiter tuba judicialis denuntiabit impiis imminens sibi exitium. Tunc ergo verum erit illud paradoxum: *Veniet tempus, quo damnati nolent egredi ex inferno, et beati nolent manere in cœlo*. Damnati nolent egredi inferno, partim ne videant vultum iratum et fulminantem iudicis: partim ne subeant probrum publicum damnationis coram toto mundo; partim ne cogantur assumere corpora, quibus præter animæ pœnas prius jam toleratas, novas alias luant, adeoque duplices. Beati e contra optabunt egredi e cœlo, tum ut oculis suis videant Ducem suum, et auribus suis audiant dulcissimam ejus vocem: *Venite benedicti*; tum ut publicam recipiant meritorum suorum laudem et coronam, tum ut corpori suo amicissimo rursus uniantur, in eoque præter animæ stolam, alteram recipiant, adeoque duplicem.

Secundo. Mira Dei et Angelorum opera confluent in unum cineres uniuscujusque corporis et restituent id in integrum, sed in statu perfectæ ætatis et sine ullo defectu integritatis humanæ naturæ; tametsi ex alia parte magna erit diversitas inter illa corpora, ut indicat Apostolus I. Cor. XV. cum ait: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*, ad gloriam videlicet, ita ut gloriosis corporis dotibus vestiamur. Hoc enim eveniet electis tantum. Damnati invenient quidem corpus suum immortale, sed passioni obnoxium, grave, deforme, fœtidum, horridum, ut sit animæ carcer et novus quidam infernus. Cogitate hic: quo vultu se mutuo intuebuntur anima et corpus impii? Quam ægre hoc par conjugum sibi mutuas dabit dexteræ? Quam ægre copulabitur? Maledicet anima corpori, quod in ejus gratiam plurima peccarit, quod tanta ei indulserit, quod ejus rebellione ad orcum pertracta sit. Maledicet corpus animæ, quod imperio ejus domitum non fuerit, ab illicitis cupiditatibus nec impeditum nec retractum, itaque per ipsam in statum hunc devenerit; sic nimirum infelices illi conjuges qui in vita hac facile convenerunt, et quascumque peccatorum illecebras pari contentione sectati sunt, omnes peccatorum dulcedines et voluptates pariter ebiberunt; cum spiritus efferebatur de sua quadam excellentia, statim caro se erexit et impensius ornavit; cum spiritus agitabatur odio vel ira, mox caro se armavit ad inimicum persequendum. Vicissim cum caro suas delicias sectata est, gulam, libidinem, avaritiam; spiritus cum hoc fure illico currebat, simul furabatur, furtum palliabat, negabat, tegebat: tunc velut spinæ se invicem complectentur, sibi que mutui carnifices fient. Contra vero anima electi, cum aspiciet corpus suum glo-

riosis vestitum dotibus, quantum sibi gratulabitur, quantum sibi in eo placebit, quas sibi mutuo gratias agent ambo isti conjuges, spiritus et caro, quod ille hanc optime rexerit, hæc illi obedierit: ibi spiritus carni dicet, quod legimus Cant. I. *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum*. Et respondebit caro spiritui, veluti sponso suo: *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus. Lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina*.

Tertio. Congregabuntur omnes ad locum iudicii, qui erit vallis Josaphat prope Jerosolymam infra montem Oliveti, ut habetur Joelis III. ut ita Christus in ea regione iudicet omnes, ubi pro omnibus inique iudicatus est: ibique conspiciatur ejus majestas, ubi prius visa est ejus abjectio et humilitas: ut ubi descendat de cœlo, ubi ascendit in cœlum, et sic opus salutis nostræ ibi terminetur ubi cepit. Ibi erit area, ubi seges triturbatur, ibi erit toreular, ubi vindemia calcabitur. Angeli messorum et vindemiatores erunt, quorum falcem nemo fugiet, ut videre est Apoc. XIV. Cæterum in hoc etiam dispar erit conditio bonorum et malorum: illi enim sponte et per dotem agilitatis suapte vi occurrent Christo, imo velut aviculæ volabunt ad suum Iudicem, juxta id Domini: *Ubi est corpus, ibi congregabuntur et aquilæ*: hi vero, cum hac dote destituti et plumbei potius sint futuri, transferri ab Angelis debent. Ita fiet quod prædixit Isaias cap. XL. *Deficient pueri et laborabunt: et juvenes in infirmitate cadent. Qui autem sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assumunt pennas sicut aquilæ, current et non laborabunt*. Impii dum in mundo sunt, communiter magni fiunt et amantur velut juvenes: pii contra velut senes contempti habentur. At in die illo, quo incipiet regnum Christi, pii assumentur, (ad electorum cuneum) impii relinquentur. Impii hic agiles, celeres et robusti sunt ad captanda mundi bona, divitias, honores, delicias, etc., pii contra tardi, impediti et infirmi, sed ibi sors mutabitur; pii ad Regis regum curiam et dexteram evolabunt, impii velut ignava pecora eo raptabuntur. Impii in mundo semper esse primi volunt, pii vero sequi et agmen claudere debent, sed ibi apud Christum pii erunt primi, impii postremi. Impii hic plerumque altiores sedes occupant, inferiores vero pii; sed ibi pii velut aquilæ in alto volitabunt, impii suo pondere terram prement. Impii in mundo liberrime vagantur, et quidquid desiderat cor eorum, id obtinent non difficile, velut imprimis venificæ, quæ per aërem quaquaversum feruntur, sua luxuria omnia prata percurrunt, in omnia cellaria invo-

lant, omnia perlustrant; at pii communiter alligati sunt inopiæ aut infirmitati, deinde legi Dei, ne pro libito frui bonis mundi possint. At tamen ibi pii libro perfruentur aere; et, ubicumque volent, ibi statim esse poterunt: impii vero terræ et carceri suo affixi erunt. Impii hic pascunt oculos suos creaturarum pulchritudine et obscœnis imaginibus, pii suos claudunt. At ibi Regem gloriæ pii contemplabuntur inexplicabili gaudio, velut solem aquilæ; impii vero avertent oculos, et nolent eum videre, quem sibi iratum scient, adeoque dicent montibus: *Cadite super nos*, Ose. X. Nihilominus tamen nolentes ad tribunal ejus rapiuntur. Impii denique hic communiter expertes tribulationis sunt, nec facile tanguntur communibus flagellis, fame, peste, etc. quæ tamen in piorum dorsa crebro cadunt: sed in die iudicii pii veluti aquilæ a fulmine iudicantis minime tangentur (dicitur enim aquila fulmine non tangi) impii vero comminuentur.

#### CONCIO IV.

CUR ADVENTUM DOMINI SIGNA PRÆCESSURA.

I. Ista signa indicant mundi interitum. — II. Indicant iudicem mox venturum. — III. Ostendunt diem internecionis. — IV. Indicant creaturarum iram in peccatores. — V. Ostendunt gravitatem peccati. — VI. Monent ad penitentiam.

#### THEMA.

*Erunt signa in sole, et luna et stellis.* Luc. XXI.

Nostis, auditores, secundum regulas astrologorum, solem, lunam, et cæteras stellas erraticas seu planetas dici esse in signis, zodiaci videlicet, veluti in signo Virginis, Tauri, Piscis: nunquam vero dici, signa esse in sole, luna, vel planetis reliquis; quia nimirum signa constant stellis fixis, quæ in firmamento immobiles persistunt. Planetæ vero, stellæ errantes, quæ sunt infra firmamentum, signa illa variis itineribus perambulant, adeoque variis aspectibus afficiunt. Hæc cum ita sint, quid sibi vult prognosticon, magni illius Astrologi Christi, cum inverso ordine ait: *Erunt signa in sole, luna, et stellis?* Mea quidem sententia nihil aliud vult dicere, quam omnia perturbanda, et rursus deorsum itura esse extremo illo tempore, adeoque ipsorum etiam siderum cursum, aliaque omnia e suis locis movenda, sicut dixit Joel, c. III. *Movebuntur cæli et terra*. Jam ergo si astrologi, cum prævident miros et insolitos astrorum aspectus, curiose perscrutantur, quidnam illi portendant: multo æquius est, nos ut sedulo inquiremus, quid tandem insueta et horribilia illa signa denotent. Id vero hic faciamus.

I. Signa illa indicant utriusque mundi ma-

joris et minoris interitum jamjam imminetem: majoris quidem, quia in homine microcosmo morti propinquo hebescent oculi, quatiuntur ossa, membra tremunt, pectus turget, respiratio ingravescit, pulsus arteriarum deficit: sic in microcosmo, cum is tendet ad interitum, luminaria cœli obscurabuntur, terra et montes tremunt, mare turgescet, venti invalescent, motus cœlorum sistetur: minoris vero seu hominis, quia tunc servire ei desinent omnia: ostendent ergo, genus humanum, in cujus servitium omnes creaturæ factæ sunt, jam pene interiisse, et mox omnino emoriturum. Hinc Isaias c. XXIV. dicit de extremo judicio: *Et tabescet omnis militia cœlorum* (id est sol et luna et stellæ) *et complicabuntur sicut liber cœli, et omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea et de ficu.*

Primo ergo, sicut rege in regia moriente, omnis ejus familia tabescit atque a servitio ejus cessat et absolvitur: ita cum humanum genus interibit, cœlestia luminaria, et creaturæ exteræ servire ei desinent, ideoque contabescunt et lugebunt quasi domini et imperatoris sui mortem, quomodo regis familia et curia in morte domini sui vestem lugubrem induit. Unde Apoc. VI. idipsum sic describitur: *Sol factus est niger, tamquam saccus cilicinus, et luna tota facta est sicut sanguis, etc.* Et S. Chrysostomus homil. L. operis imperfecti ait: « Patrefamilia moriente, tota domus ejus turbatur, omnis familia plangit, et conscissis tunicis suis, nigris se operiunt vestimentis; sic et humano genere, propter quod omnia fuerunt creata, circa exitum constituto, totus contristatur mundus, universa cœli ministeria lugent, et candore deposito, pro vestibus luctuosis, tenebris vestiuntur. » Sic ille.

Secundo, cœli complicabuntur sicut liber, id est, convolventur sicut mappa super cylindrum (sic enim olim plicabantur libri) quia tunc desinent hominibus enarrare gloriam Dei, et notitiam ejus. Nunc enim, uti David dixit: *Cœli enarrant gloriam Dei*; sapientiam, potentiam, bonitatem, etc. quia adhuc in mundo velut in schola sumus, ubi discere possimus. At quia in diebus illis finis erit scholæ, ideo complicabitur ille liber, cum luminaria cœli subtrahent splendorem suum et abscondent cœlum. Denique sidera sicut folia de vite vel ficu defluent (id est, de cœlo cadent,) quia « Sicut vites, (inquit S. Chrysostomus in hom. ad neophytos,) cum uvarum fructibus prægravantur, foliorum auxilium necessarium ut protegantur, exposcunt; cum autem deposuerunt fructum, necesse est, ut etiam foliis denudentur: sic se habet hoc sæculum. Quamdiu habuerit in se

humanum genus, tenebit et cœlum stellas, sicut et vitis folia, etc. »

II. Inducant Regem cœli et terræ mox venturum ad judicium. Quando fama spargitur imperatorem ad certum diem habiturum comitia, et ad ea profecturum, plurimi reperiuntur, qui diei illi fidem nullam adhibent; sed prout fere contingit, in longum protrahenda, aut omnino omittenda comitia dicitant; quia nullum apparatus vident: at cum præparari discessum, cum aulæa de palatii parietibus tolli et componi, cum auream et argenteam suppellectilem convasari, cum in aula omnia turbari et ad discessum expediri vident; tum demum credunt Cæsarem profecturum. Ad eundem modum, licet a Deo decretum sit venire ad judicium, et hæc fama pro re certissima promulgetur undique in concionibus, plurimi tamen sunt, qui fidem nullam adhibent, saltem quod tam brevi id futurum sit, eo quod advertant, prorogari adventum illum, id quod potissimum facient, qui ultimis temporibus vivent, teste S. Petro II. Pet. III. *Venient, inquit, in novissimis diebus in deceptione illusores juxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes: Ubi est promissio aut adventus ejus? Ex quo enim patres dormierunt; omnia sic perseverant ab initio creature.* Postquam igitur videbunt cœlestium siderum tapetes tolli, aurea illa vasa complicari, et omnia elementa tumultibus agitari, tum utique credere incipient, quod prius noluerunt. Tum demum arguent concionatores suos auditores, vel homines se invicem, dicentes: *Numquid non dixi vobis: notite peccare in Christum: et non audistis me? En sanguis ejus exquiritur.* Gen. XLII.

III. Ostendunt diem ultionis et internecionis jam indictum esse impiis. Quando aliqui insignes rei supplicio afficiendi sunt, solet aliqui die vexillum sanguinarium e curia suspendi, quo intelligant omnes, supplicium de reis eo die sumendum esse. Expediuntur rotæ, ignes, culei, gladii, funes. Pulsatur etiam tunc, cum e carcere educuntur morituri funesta quædam campana, nunquam alias pulsari solita. E quibus facile conjiciunt rei rem ad restem ire, et omnem sibi salutis spem esse oclusam. His tristibus judiciis visis et auditis concurrunt undique populus, et commoventur etiam illi, ad quos ea nihil pertinent; nedum ipsi rei. Jam ergo nihil certius est, quam quod Deus aliquando supplicium sumet de peccatoribus. *Levabo ad cœlum manum meam, inquit Deut. XXXII. et dicam: Vivo ego in æternum; si acvero ut fulgur gladium meum, et arripuerit judicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis, et his qui ode-*

*runt me, retribuam.* Cum ergo præparavit Deus gladium suum, ita ut instar fulguris luceat ac penetret, tunc ultionis diem indicet. Atque ut hic omnibus manifestus fiat, vexillum sanguinarium de cœli curia expandet, quando nimirum sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, seu ut Joannes ait: *Sol fiet sicut saccus cilicinus, et luna sicut sanguis.* Accedit sonitus insuetus et terribilis fluctuum et maris, ventorum impetu excitatus. Tunc absque dubio aliter loquentur homines de judicio, atque nunc solent. Tunc cum dæmonibus illis in mare præcipitandis dicent: *Quid nobis et tibi, Jesu Fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos.* Matth. XVIII.

Tamerlanes ille Tartarorum princeps, civitatem aliquam obsidens, solebat prima obsidionis die tentorium album erigere, in signum securitatis et pacis, si se tunc obsessi dederent. Altera die tentoria rubra, in signum cædis, quam facturus erat, nisi secunda die se dederent. Denique die tertia nigrum, in signum omnimodæ vastationis, et eversionis urbis, nisi tertio paruisent. Qui etiam aliquando, cum urbs secunda die ab eo obsessa obviam ei mitteret pueros et puellas cum olivæ ramis, ad pacem impetrandam, jussit eos ab equitibus conculcari: cujus sævitæ cum argueretur ab amico, respondit: *An tu me hominem putas, et non potius iram Dei?* Ad eundem modum aggreditur nos primo Deus per vexillum album, id est, per beneficia, pacem et prosperitatem. Deinde cum abundabit iniquitas, et refrigescet charitas, proferet Deus vexillum rubrum, quando per bella et seditiones atteret mundum. Denique expandet vexillum nigrum, paulo ante judicium, in signum omnimodæ internecionis et eversionis mundi.

Omnia hæc prædicta legimus a Joanne in Apocalypsi, ubi aperto primo sigillo, prodiit equus cum equite habente arcum et coronam. Secundo aperto, exiit equus rufus cum equite habente gladium magnum. Tertio aperto, prodiit equus niger cum equite habente in manu stateram. Quem secutus est equus pallidus mortem vehens cum pedissequo inferno.

IV. Inducant armandas creaturas contra peccatores, quorum tyrannidei servire coactæ sunt. Nam ad Rom. VIII. ait S. Apostolus: *Vanitati* (id est, corruptionibus, defectibus, operibus servilibus, et laboribus hominum) *creatura subiecta est, non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe: quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc. Itaque quasi sub tyranno gemunt creaturæ, quando pecca-

I.

toribus servire coguntur contra communem suum Creatorem, petuntque ab hac tyrannide liberari, uti mulier a puerperio, sperantque id futurum ultimis temporibus. Quemadmodum civitas oppressa tyrannide, cum advertit legitimum suum dominum pugnare contra tyrannum, totis viribus domino suo assistit, quo tyrannus expellatur et ipso dominum suum recipiat; ita cum eo res rediget, ut ab impiorum hominum imperio creaturæ liberentur, totis assistere viribus conabuntur legitimo suo Domino. Quod indicatur, cum dicitur: *Luna non dabit lumen suum.* Sol enim et luna ac stellæ negabunt homini lumen, creaturæ ceteræ usum suum. Mare contra hominem insurret, terra se dividet, aer sæviet. Itaque tunc afferent quodammodo seipsas in libertatem, et repudiabunt impium et iniquum dominum. *Omnis creatura triplici voce alloquitur hominem,* ut ait Hugo de arca Noe, *scilicet accipe, redde, fuge.* Prima est famulantis; ita cœlum ait: Ego ministro tibi lucem ut opereris, tenebras ut quiescas, vicissitudines temporum tribuo, ut varietas tollat fastidium, etc. Aer dicit: Utilem tibi præbeo flatum, et omnia animalia alo ad tuum obsequium. Terra: Ego te porto, pane conforto, vino lætifico, frugibus oblecto, animalia subministro. Aqua: Potum tibi præbeo, sor-des purgo, arentia rigo, et diversa animalia nutrio. Ignis: Ego te calefacio, cibos tibi coquo, dura mollio, mollia induro, etc. Secunda est admonentis, omnia enim dicunt: Vide quomodo amavit te Deus, qui propter te nos fecit? Vide quomodo eum redames? Accipis benignitatem: redde charitatem, gratitudinem, honorem, obedientiam, etc. Tertia comminantis: cœlum et astra dicunt: Nos tibi lumen subtrahemus. Ignis dicit: Ego te comburam, et in cinerem redigam. Mare: Ego suffocabo te. Terra: Ego absorbebo te. Infernus: Ego te deglutiam. Hoc est quod Sapiens dixit, Sap. V. *Armabit creaturam ad ultionem inimicorum.* Et mox: *Et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Nimirum qui *In cunctis deliquimus,* inquit S. Greg. hom. XXXV. *in cunctis ferimur, ut impleatur quod dicitur: Et pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos.* Hujus belli tam terribilis si meminissent peccatores, utique respicerent, et peccandi finem facerent. *Memento belli,* dixit Deus Job. c. XL. *nec ultra addas loqui.* Memento et tu peccator belli illius ultimi, et ne addas ultra peccare.

V. Ostendunt gravitatem peccati, et pœnā reproborum; siquidem etiam creaturæ ratione et sensu carentes propter illos puniuntur. Quid enim commeruit sol et luna, ut lumine suo spoliarentur et sacco lugubri induerentur? Quid

stellæ ut de cælo exturbarentur? Quid mare ut tam inusitatis fluctibus ageretur? Quid creaturæ cæteræ, ut locis suis dimoverentur? Nimirum illud ipsum quod muri urbis Jericho prostrati, Jos. VI. quod pecora Amalecitarum, Reg. XV. quod serpens a Deo maledictus; quod arbores et silvæ excindi jussæ a Deo, Deuteronom. XX. Quid vero illa commeruerunt? Nihil utique nisi quod instrumenta fuerunt homini ad perpetranda gravia peccata, adeoque modo aliquo servierint ad peccandum. Eadem igitur ex causa sol induet *Saccum cilicinum* (signum pœnitentiæ) et luna vertetur in sanguinem, ut dicitur Apoc. VI. vel ut Isai. XXIV. Dicitur: *Erubescet luna et confundetur sol, cum regnaverit Dominus exercituum*, quia nimirum contra Creatorem suum peccatoribus servierunt, vel quia vident hominem erubescere noluisse, ipsa ejus loco confunduntur, et erubescunt, unde S. Hieron. in prædictum locum ait: *Erubescet luna et confundetur sol cernens homines, qui suo fruebantur lumine: nihil dignum Dei bonitate fecisse, qui solem suum oriri facit super bonos et malos.* Hinc ergo colligi debet quantum malum sit peccatum, et quam severe puniendum, quando propter id cælum et elementa turbari, ac mundus totus demum exuri debet. Quando Holophernes cum exercitu suo descendit in campos Damasci, et succendit omnia sata, omnesque arbores et vineas fecit incidi, *Cecidit timor illius super omnes inhabitantes orbem*, ut dicitur Judith II. cogitabant enim: Si ita sævit iste in res non modo innoxias, sed etiam salutare, quomodo sæviet in homines, quos perditum ac subjugatum venit? Simili modo ratiocinari possumus, si ita Deus sæviet in innoxia, imo saluberrima elementa, in amœnissimum illum solem, in pulcherrima et gratissima illa sidera, propter scelera hominum: heu quam atrociter sæviet in ipsos prævaricatores? Scimus magistratum punire aliquoties res etiam innocuas in odium nocentium. Sic Levit. XX. occidi pecus jubetur, quocum quis coierit. Et Romæ in canes animadversum est, quod, advenientibus Gallis hostibus, non oblatrassent; et quasi eorum proditori consensissent, suspensi sunt. Sed et Athenis lapides, qui cadendo hominem occidissent, exterminabantur, teste Æschine contra Ctesiphontem; ut inde ratiocinarentur homines, quantum supplicium maneret ipsos, simile quid admittentes, cum ne inanimatis quidem parceretur. Ergo ob eandem causam puniet Deus astra et elementa in odium peccati.

VI. Monent homines ad pœnitentiam, hucque potissimum videntur hæc signa collimare. Uti enim præmisit Deus signa eversionis Jerosolymitanæ, ut converterentur ad pœnitentiam; ita

et ultimo excidio signa præmittuntur juxta id Ps. LIX. *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus.* Venator cum jaculo petit leporem, nullum excitat strepitum, nec minatur lepori; sed, quam maxime potest, subdole agit ut incautum feriat. Sed non ita Deus, qui *Non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur.* Idcirco crebro minatur per indicia præcedentia, antequam condemnet. Unde colligi potest, quam invito animo puniat mortales; non quod hoc affligat Deum, sed ut ponat nobis ante oculos impendens malum, quod tantum est, ut, si possibile esset, Deum ac creaturas insensibiles condolare ac lacrymari, id facerent. Itaque sicut in passione Domini elementa Christo suo creatori compati videbantur, sic etiam illis diebus compati videbuntur hominibus; et sicut illa olim arguebant Judæos obstinatos, ita arguent ista tunc omnes impœnitentes, ut qui dolere noluerunt, dolentibus licet elementis et creaturis insensatis.

Adhæc demonstrabunt media peccatoribus, quibus adhuc, si velint, salvari poterunt. Sol fiet quasi saccus cilicinus, luna sicut sanguis, stellæ cadent de cælo; itaque monebunt, ut peccatores induant cilicium pœnitentiæ, fugiant ad sanguinem Christi, id est, Sacramenta, procidant in terram per orationem, confugiant ad solem, lunam, stellas, id est, Christum, Mariam et sanctos. Quod nisi repente fecerint, noverint solem Christum mox obscurandum, et tristi vultu appariturum: lunam Deiparam non daturam amplius lumen sui patrocini: sanctos quasi stellas de cælo casuros, id est, *In diluvio aquarum multarum* ad Deum non appropinquaturos seu pro nemine interventuros.

Quamobrem, auditores, provideamus nobis de salute nostra, dum omnia adhuc suo ordine procedunt, dum adhuc sol est in signis: non expectemus tempus, quo omnia turbabuntur, et signa in sole erunt. Nunc sol est in signis, hoc est, Christus reperitur, et est in signis prædestinationis, et virtutum studiis. Nunc est in Ariete id est, misericordibus, qui lanam suam communicant pauperibus: in Tauro, id est laboriosis, qui strenue in vinea Domini laborant: in Geminis, id est, diligentibus, et concordibus: in Cancro, id est, pœnitentibus, qui retrocedunt per emendationem vitæ: in Leone, id est, clementibus, qui parcunt prostratis et veniam poscentibus inimicis: in Virgine, id est, castitatis sectatoribus: in Libra id est, in justitiæ amatoribus et promotoribus: in Scorpione, id est, in iis qui jugiter mortificationem Jesu in corpore suo circumferunt, II. Cor. IV: in Saggiario, id est, Christi imitatoribus, qui pro signo et scopo Christum semper ante oculos habent, eoque omnes suas cogitationum, dicto-

rum, factorumque sagittas jaciunt: in Capricorno, id est, in afflictis et angustiatis, qui ut ait Apostolus ad Heb. XI. *Ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus et speluncis, et in cavernis terræ:* in Aquario, id est flentibus peccata sua: in Piscibus, id est, jejuniis. At vero tunc signa hæc erunt, in sole, hoc est, in Deo clausa; ubi sero nimis sapient Phryges, et audient dicentem sibi Deum: *Jam ostium clausum est et pueri mei mecum sunt in cubicili: non possum surgere et dare tibi; panem scilicet regni cælorum, quem nobis largiatur Deus.*

## CONCIO V.

DIES EXTREMI JUDICII CUR DIES MAGNA?

I. Quia magnus ibi conventus. — II. Quia de rebus magnis ibi tractatur. — III. Quia omnium dierum recapitulatio. — IV. Quia dies magni prælii et victoriæ. — V. Quia finem imponet terrenis rebus. — VI. Quia initium æternitatis.

## THEMA.

*Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate.* Luc. XXI.

Multas et varias appellationes sortitur in sacris Litteris extrema dies judicii. Vocatur enim dies Domini, dies illa, dies iræ, dies tribulationis et angustiarum, dies revelationis, dies restitutionis omnium, etc. Frequentior tamen est illa appellatio, qua vocatur dies magna. Sic enim appellatur a Jer. cap. XXX. a Joele c. II. a Sophonia c. II. a Malach. c. IV. a S. Juda in sua can. a Joanne, Apoc. c. VI. et XVI. Et fere jam usus obtinuit ut vulgo etiam dies illa vocetur dies magna: nec sine magnis rationibus, quas hic discutiemus.

I. Primo. Quia maximus ibi erit conventus et maximorum principum. Primo enim Christus de cælo descendet cum potestate magna et majestate, ut inquit Evangelium hodiernum. Et confirmat Apostolus ad Tit. II. dicens: *Expectantes beatam spem adventum gloriæ magni Dei.* Primus Christi adventus fuit in forma parvuli vagientis, imbecillis, infasciati, inglorii; sed in secundo adventu aderit ut Deus magnus, cum virtute, potestate et majestate maxima. Omnia ei subjecta erunt, omnibus dominabitur, et omnium genua cælestium, terrestrium, et infernorum flecti ei debent, *Et omni lingua confitebitur, quia ipse est in gloria Dei Patris.*

Secundo. Aderunt omnes Angeli, Christum comitantes velut aulici et ministri ejus. Sic enim citur Matth. XXV. *Cum venerit Filius hominis*

*in majestate sua, et omnes Angeli cum eo.* Quanti isti principes? Quantus eorumdem numerus? Quantas aeris regiones longe lateque implebunt? Et credendum est apparituros in splendidis corporibus, quo hæc Christi gloria et potentia videri possit ab impiis.

Tertio. Aderunt omnes electi in corporibus gloriosis, tanquam filii et amici ejus, juxta prophetiam Henoch, quam adducit S. Judas in Can. sua: *Ecce veniet Dominus in sanctis millibus suis; id est, innumeris, qui omnes una cum Christo judicabunt impios.* Quod expavescens S. August. in medit. c. IV. ait: *• Tot judicibus inops astabo, quot me præcesserunt in opere bono; tot arguentibus confundar, quot mihi præbuerunt bene vivendi exempla, tot convincar testibus, quot me monuerunt proficuis sermonibus, seque imitandos dederunt justis actionibus.*

Quarto. *Congregabuntur ante eum omnes gentes:* ait Matth. c. XXV. omnes nimirum, quotquot ab initio mundi usque ad finem toto orbe extiterunt. Nec solum aderunt omnes homines, sed etiam omnes Dæmones, et ipsi corporali specie (ut credimus) apparentes, quo videri queant. Magnum sane et mirabile spectaculum videre superne totum hemisphærium, innumeris legionibus angelorum et sanctorum circumfusum usque ad cælum; inferne vero infinitam damnatorum multitudinem humi strattam, et superficiem terræ longe lateque occupantem, gementem, ululantem; in medio vero utriusque agminis Christum judicem. Annon hic magnus dies? Quis vidit aliquando tale concilium aut comitia? *Magnus* ergo hic *dies Jezrahel;* id est, seminis Dei, Ose. I. Nimirum Christus discernet semen suum a semine Diaboli. Quemadmodum in amphitheatro per gyrum supra sedent innumeri spectatores, infra vero in area damnati ad bestias, expectantes earumdem in se irruptionem: ita ibi spectatores erunt sancti omnes in aeris spatio amplissimo circumsedentes, in terra vero damnandi ad infernum inter bestias diabolicas positi.

II. Quia de re omnium maxima ibi decernetur. Neque enim agitur de statu unius imperii vel aliquot regnorum, sed de summa rerum totius mundi, de summo et æterno malo, de fortunis omnibus, et denique, quem statum unusquisque sortiri, et in omnem æternitatem retinere debeat. Tunc, enim, *Ubi cumque ceciderit lignum, sive ad Austrum sive ad Aquilonem, ibi erit,* Ecclesiastis XI. Auster, ventus calidus, requiem paradisi: Aquilo vero frigidus, inferni supplicium notat. Leontius in vita S. Joannis Eleemos. capit. XXVI. episcopi Alexandrini, scribit Troilo episcopo ostensam aliquando per somnium fuisse